

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Kurtze, doch unpartheyisch und Gewissenhaffte
Betrachtvng Deß In dem Natur- und Göttlichen Recht
gegründeten Heiligen Ehstandes, In welcher Die seither
strittigen Fragen Vom Ehbruch, Der Ehscheidung, ...**

Beger, Lorenz

[S.l.], 1679

III

[urn:nbn:de:bsz:31-281615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-281615)

III

Obiges Bedencken in Latein.

Serenissimo Principi & Domino

PHILIPPO

Landgravio Hassiæ, Comiti in Catzenelbogen, Diez, Ziegenhayn, Nidda & Schauenburg, Domino Nostro Clementi.

GRatia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum preiæ. *Serenissime Princeps & Domine.* Postquam *Vestra Celsitud.* nobis per Dominum Bucerum diuturnas suæ conscientiæ molestias nonnullas, simulque considerationes indicari curavit, addito scripto seu instructione, quam illi *Vestra Cels.* tradidit, licet ita properanter expedire responsum difficile sit, nolimus tamen Dominum Bucerum, reditum equo maturantem sine scripto dimittere. Inprimis sumus ex animo recreati, & Deo Gratiâs agimus, quod *Vestram Cels.* difficili morbo liberavit, petimusque, ut Deus *Cels. Vestr.* in corpore & animo confortare & conservare dignetur.

231
dignetur ; nam prout *Cels. Vestra* videt , pauper-
cula & misera Ecclesia est , exigua & derelicta,
indigens probis Dominis Regentibus , sicut non
dubitamus , Deum aliquos conservaturum,
quantumvis Tentationes diversæ occurrant.

Circa quæstionem , quam nobis Bucerus
proposuit hæc nobis occurrunt consideratione
digna. *Cels. Vestra* per se ipsam satis perspicit,
quantum differant , universalem legem condere,
vel in certo casu gravibus de causis , ex concessi-
one Divina , dispensatione uti : nam contra De-
um locum non habet dispensatio. Nunc sua-
dere non possumus , ut introducatur publicè &
velut lege sanciat permissio , plures , quàm u-
nam , uxores ducendi. Si aliquid hac de re prælo
committeretur , facilè intelligit *Vestra Cels.* id
præcepti instar intellectum & acceptatum iri , un-
de multa scandala & difficultates orientur. Con-
sideret , quæsumus , *Cels. Vestra* , quàm sinistrè ac-
ciperetur , si quis convinceretur , hanc legem in
Germaniam introduxisse , quæ æternarum liti-
um & inquietudinum (quod timendum) futu-
ra esset seminarium.

Quod opponi potest , quod coram Deo
æquum est , id omninò permittendum , hoc

H h 3

certa

certa ratione & conditione est accipiendum. Si res est mandata, vel necessaria, verum est quod obijcitur; si nec mandata nec necessaria sit, alias circumstantias oportet expendere. Ut ad propositam quaestionem propius accedamus: Deus Matrimonium instituit, ut tantum duarum, & non plurium personarum esset societas, si natura non esset corrupta; hoc intendit illa sententia, *erunt duo in carne una*, idque primitus fuit observatum. Sed Lamech in matrimonium pluralitatem uxorum iniecit, quod de illo scriptura memorat, tanquam introductum contra primam regulam. Apud infideles tamen fuit consuetudine receptum; postea Abraham quoque & ejus posterii plures duxerunt uxores. Certum est, hoc postmodum lege Moysi permissum fuisse teste scriptura *Deut. 21*. Ut homo haberet duas uxores; nam Deus fragili naturae aliquid indulgit. Cum vero principio & creationi consentaneum sit, unicam uxore contentum vivere, hujusmodi lex est laudabilis, & ab Ecclesia acceptanda, nec lex huic contraria statuenda. Nam Christus repetit hanc sententiam: *erunt duo in carne una*, *Matth. 19.* & in memoriam revocat, quale matrimonium ante humanam

233
nam fragilitatem esse debuisset. Certis tamen
Casibus locus est dispensationi : Si quis apud
exteras Nationes captivus ad curam Corporis &
sanitatem inibi , alteram uxorem superindu-
ceret, vel si quis haberet Leprosam, his casibus
alteram ducere cum consilio sui Pastoris ,
non intentione novam legem inducendi , sed
sux necessitati consulendi , hunc nescimus ,
qua ratione damnare liceret.

Cum igitur aliud sit , *inducere legem* , a-
liud *uti dispensatione* , obsecramus *Vestram*
Cels. sequentia velit considerare. Primum , an-
te omnia cavendum , ne hæc res inducatur in
Orbem ad modum Legis , quam sequendi li-
bera omnibus sit potestas. Deindè conside-
rare dignetur *Vestra Cels.* Scandalum , nimi-
rum , quòd Evangelii hostes exclamaturi sint ,
nos similes esse Anabaptistis , qui plures simul
duxerunt uxores ; Item, Evangelicos eam secta-
ri libertatem plures simul ducendi , quæ in
Turcia in usu est. Item, Principum facta latius
spargi , quàm privatorum , consideret. Item
consideret , privatas personas hujusmodi Prin-
cipum facta audientes facilè sibi eadem per-
missa persuadere , prout apparet , talia facilè
irrepero

irrepere. Item considerandum ; *Cels. Vestram* abundare Nobilitate efferi spiritûs , in qua multi uti in aliis quoque terris , sint , qui propter amplos proventus , quibus ratione Cathedralium beneficiorum perficiuntur , valdè Evangelio adversantur. Non ignoramus ipsi magnorum Nobilium valdè intulsa dicta ; qualem se Nobilitas & subdita Ditio erga *Cels. Vestram* sit præbitura , si publica introductio fiat , haud difficilè est arbitrari. Item *Cels. Vestra* , quæ Dei singularis est gratia , apud Reges & Potentes etiam externos magno est in honore & respectu , apud quos meritò est quod timeat , ne hæc res pariat nominis diminutionem.

Cùm igitur hîc multa Scandala confluant ; rogamus *Cels. Vestram* , ut hanc rem maturo iudicio expendere velit. Illud quoque est verum , quod *Cels. Vestram* omnimodo rogamus & adhortamur , ut fornicationem & adulterium fugiat. Habuimus quoque , ut , quod res est , loquamur , longe tempore non parvum mœrorem , quod intellexerimus , *Vestram Cels.* ejusmodi impuritate oneratam , quam divina ultio , morbi , aliaque pericula sequi

sequi possint. Etiam rogamus *Cels. Vestram*,
 ne talia extra matrimonium levia peccata velit
 æstimare, sicut mundus hæc ventis tradere, &
 parvi pendere solet. Verùm Deus impudicitiam
 sæpè severissimè punivit. Nam pœna diluvii
 tribuitur Regentum adulteriis, item adulterium
 Davidis est severum Divinæ vindictæ exem-
 plum: & Paulus sapiùs ait, Deus non irridetur,
 adulteri non introibunt in regnum Dei; nam fi-
 dei obedientia comes esse debet, ut non contra
 Conscientiam agamus, primo Timoth. & pri-
 ma Joh. 3. si cor nostrum non reprehenderit nos,
 possumus læti Deum invocare, & Rom. 8. si car-
 nalia desideria spiritu mortificaverimus, vive-
 mus, si autem secundum carnem ambulemus, hoc
 est, si contra conscientiam agamus, moriemur.

Hæc referimus, ut consideret, Deum ad
 talia non ridere, prout aliqui audaces fiunt &
 ethnicas cogitationes animo fovant. Liben-
 ter quoque intelleximus, *Vestram Cels.* ob ejus-
 modi vitia angi & conqueri. Incumbunt *Cels.*
Vestra negotia totum mundum concernentia,
 accedit *Cels. Vestra* complexio subtilis & mini-
 mè robusta, ac pauci somni, unde meritò cor-
 pori parcendum esset, quemadmodum multi alii
 li facere

facere coguntur. Legitur de laudatissimo *Principe Scanderbego*, qui multa præclara facinora patravit contra duos Turcarum Imperatores Amurathem & Mahometem, & Græciam, dum viveret, feliciter tuitus est, ac conservavit. Hic suos milites sæpiùs ad castimoniam hortati auditus & dicere: nullam rem fortibus Viris æquè animos demere, ac Venerem. Item, quòd si *Vestra Cels.* in super alteram Uxorem haberet, & nollet pravis affectibus & consuetudinibus repugnare, adhuc non esset *Vestra Cels.* consultum ac prospectum.

Oportet unumquemque in externis istis suorum membrorum esse Dominum, uti Paulus scribit: curate, membra vestra sint arma justitiæ. Quare *Cels. Vestra* in consideratione allatarum causarum, nempe Scandali, curarum, laborum ac sollicitudinum & corporis infirmitatis, velit hanc rem æquâ lance perpendere, & simul in memoriam revocare, quòd Deus ex moderna Coniuge pulchram sobolem utriusque sexus dederit, ita ut contentus hâc esse possit. Quot alii in suo debent patientiam exercere ad vitandum Scandalum? Nam nobis non sedet animo, *Cels. Vestram* ad tam difficilem novitatem impellere

237
pellere aut inducere. Nam ditio *Cels. Vestra* alii-
que nos idem impeterent, quod nobis eò minus
ferendum esset, quodd ex præcepto divino nobis in-
cumbat, matrimonium, omniaque humana ad
divinam institutionem dirigere, atque in ea,
quoad possibile, conservare omneque Scanda-
lum remove. Is jam est mos sæculi, ut culpa
omnis in Prædicantes conferatur, si quid diffi-
cultatis incidat: & humanum cor in summæ &
inferioris conditionis hominibus instabile, unde di-
versa pertimescenda.

Si autem *Vestra Cels.* ab impudica vita non
abstineat, quod dicit, sibi impossibile, optare-
mus *Cels. Vestram* in meliori statu esse coram
Deo, & securâ Conscientiâ vivere, ad propriæ
animæ salutem, & ditionum ac subditorum e-
molumentum. Quod si denique *Vestra Cels.*
omnino concuserit adhuc unam Conjugem du-
cere, juramus id secretò faciendum, uti supe-
rius de dispensatione dictum, nempe ut tan-
tum *Vestra Cels.* illi personæ, ac paucis personis
fidelibus constet *Cels. Vestra* animus & conscien-
tia sub sigillo confessionis. Hinc non sequun-
tur alicujus momenti contradictiones aut scanda-
la; nihil enim est inusitati, Principes Concubi-

nas alere, & quamvis non omnibus è plebe constaret ratio, tamen prudentiores intelligerent, & magis placeret hæc modesta vivendi ratio, quàm adulterium & alii belluini & impudici actus, nec curandi aliorum sermones, si rectè cum conscientia agatur, sic & intantum hoc approbamus. Nam quod circa matrimonium in Lege Mosis fuit permissum, Evangelium non revocat aut vetat, quod externum regimen non immutat, sed adfert æternam justitiam ad æternam vitam, & orditur veram obedientiam erga Deum, & conatur corruptam naturam reparare. Habet itaque *Cels. Vestra* non tantum omnium nostrum testimonium in casu necessitatis, sed etiam antecedentes nostras considerationes, quas, rogamus, ut *Vestra Cels.* tanquam laudatus, sapiens & Christianus Princeps velit ponderare; Oramus quoque Deum, ut velit *Cels. Vestram* ducere ac regere ad suam laudem, & *Vestra Cels.* animæ salutem.

Quod artinet ad Consilium, hanc rem apud Cæsarem tractandi, existimamus, illum adulterium inter minora peccata numerare; nam magnoperè verendum, illum Papisticâ, Cardinalitiâ, Italicâ, Hispanicâ, Saracenicâ imbutum fide,

fide, non Curaturum *Vestra Cels.* postulatum,
 & in proprium emolumentum vanis verbis su-
 stentaturum, sicut intelligimus, perfidum ac falla-
 cem virum esse, morisque Germanici oblitum.
Videt Cels. Vestra ipsa, quod nullis necessitatibus
 Christianis sincerè consulit. Turcam finit imper-
 turbatum, excitat tantum rebelliones in Germa-
 nia, ut potentiam Burgundicam efferat. Quare
 optandum, ut nulli Christiani Principes illius
 infidis machinationibus se misceant. Deus con-
 fervet *Cels. Vestram*. Nos ad serviendum *Vestra*
Cels. sumus promptissimi. Datum Wittenbergæ
 die Mercurii post Festum Sancti Nicolai, 1539.

Vestræ Cels.

Parati ac subjecti Servi

Martinus Lutherus.
 Philippus Melanchthon.
 Martinus Bucerus.
 Antonius Corvinus.
 Adam F.....
 Johannes Leningus.
 Justus Winther.
 Dionysius Melander.

li 3

IV. Decß